



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXVII. Cùm propter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

quòd Episcopus sponte, & motu proprio Patronum, si idoneus est, ad beneficium instituere possit; idque duabus maximè rationibus. Prima. Si Patronus pro ea vice liberè renuntiet juri præsentationis, & Episcopus liberè, nullòque pacto antecedente beneficium conferat Patrono. Secunda. Si Episcopus prior conferre cupiat Patrono, ipsèque postea consentiat, & contentus sit; tunc enim Patronus non oritur à seipso, sed ab Ordinario vocatur, cui vocationi ipse consentire potest, sicuti & electus electioni consentire, & interdum cõligere, sicuti docui in *c. consuluit 15. hoc tit.* Nisi ita dicamus, Patrono obesse debet, quòd Ecclesiam fundavit.

CAPITULUM XXVII.

Cùm propter.

PARAPHRASIS.

Mandat Pontifex, ut si de Jure Patronatûs sit sit, & intra quatuor menses non fuerit definita, Episcopus Ecclesiam de persona idonea ordinet, ita tamen, ut in posterum non generetur præjudicium illi, qui Jus Patronatûs evertit.

SUMMARIUM.

Lite super Jure Patronatûs intra quatuor vel sex menses non finita, Episcopus liberè instituere potest.

NOTandum. Si ob litem judicariam præsentatio efficaciter fieri non possit, quia nescitur, cujus ex litigantibus præsentatio admittenda sit, Episcopus post lapsos 6. menses, si Patronus sit Ecclesiasticus; intra quatuor verò, si sit Laicus, liberè pro ea vice instituere potest. Idem docui in *c. 3. c. eam. 22. hoc tit.* Ratio datur in textu, ne Ecclesia, seu beneficium diu vacare debeat. Est autem id speciale in casu isto, quòd tempus in jure definitum, videlicet quadrimestre, aut semestris currat, sine culpa, aut negligentia Patroni, propterea quòd

Patronus, seu is, cujus præsentatio admittenda sit, ignoretur; alioquin verò statuenda est regula contraria, videlicet, quòd tempus jure definitum ad eligendum, præsentandum, vel conferendum non currat legitime impedito *c. quia 5. de concess. præb. juncta Gloss. V. suspensionis L. 1. S. ult. cod. de annali exceptione L. in rebus 30. cod. de jure dotium*, ubi dicitur, quòd tempus non currit, agere impedito.

CAPITVLVM XXVIII.

Cùm dilectus.

PARAPHRASIS.

In hoc cap. agitur de reservationibus, quarum in Germania nullus usus est propter Concordata, & ideò non est immorandum.

SUMMARIUM.

1. *Facilius derogatur Ecclesiastico Patronatui, quam Laicali.*
2. *Clerici quoad bona patrimonialia in ordine ad suos Prælatos Ecclesiasticos se habent, sicuti seculares respectu suorum principum secularium.*

NOTandum primum. Discrimen est inter Patronatum Ecclesiasticum, & Patronatum Laicum, quòd illi facilius derogari, & beneficia ejus reservari possunt collationi Papæ aut Legati à latere; sed id non fit in Patronatu Laico excepta plenitudine potestatis Papalis, quare Pontifex nunquam censetur derogare Patronatui Laico, nisi id in litteris specificè expressum sit. Ita *Gloss. recepta hic V. quempiam. Abb. n. 10. Gloss. in Clement. 2. V. Apostolicis de præb. Covarru. in præb. c. 36. n. 1. Sanchez. 1. 2. Mor. lib. 7. c. 27. n. 169.* & plenius docui in *sape cit. c. 13. n. 5.* Rationem discriminis dare debemus partim, ne domini seculares à foundationibus pijs retrahantur, si partim eorum juribus detrahatur, partim quia, sicuti plus juris Prælati Ecclesiasticum habent in bona Ecclesiastica, quam in bona secularia,